



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118650**

§. 87. Titulus VII. De Peregrinationibus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

Sæcul. XVI. A. C. 1584. *in gestationibus imaginum per vias, & compita exhibere: & si quid aliud olim sanctorum invocationibus adversariis ansam maledicendi præbuit: a cauponis abstineant, & nihil, nisi quod pietatem redoleat, exercent. Imitentur Christiani totis hisce diebus sanctos illos, quorum memoriam colunt, per opera charitatis.*

Canon VII. *Curabunt Episcopi, quoad fieri poterit, ut dies festi Sanctorum a populo non amplius varie, sed una, & eadem forma celebrentur: discernantur autem, qui a Clero tantum, & qui a populo coli debeant.*

§. LXXXVII.

*Titulus VII. De Peregrinationibus.*

*Labb.*  
*pag. 1076.*

Septimus titulus de peregrinationibus ex pietatis studio susceptis agit, tresque Canones præscribit. Canon I. *Nemo Clericorum sancta loca visitare præsumat, nisi impetrata a proprio Episcopo, aut ejus Vicario in scriptis licentia.*

Canon II. *Præmuniantur debita, & integra peccatorum Confessione, & Eucharistice Sacramento, quicumque ad loca sacra peregrinantur, antequam ire aggrediantur.*

Canon III. *Nemo ad loca sancta peregrinetur explendi, ac delectandi animi causa, aut perlustrandi oppida, & varia loca,*

loca, sed pro peccatis emendandis, & votis adimplendis.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1584.

## §. LXXXVIII.

## Titulus VIII. De vigiliis, &amp; jejuniis.

Titulus octavus de vigiliis, & jejuniis quinque complectitur Canones, quorum primus ita exhibetur: *servetur vigilia Nativitatis Domini, ad imitandum pietatem pastorum, qui Christo Domino ea nocte adorationis munus impenderunt.*

Canon II. *Reliquæ Vigiliæ pro more locorum, & ex mandato Catholicæ Ecclesiæ, cum celebratione proprii cujusque Ecclesiæ officii servantur, ideoque semper Dominica præcedente in Ecclesiis proclamantur, ne vitio ignorantie ea a laicis solvi contingat.*

Canon III. *Serventur jejunia Quadragesimæ, & quatuor temporum, & alia ab Ecclesia instituta.*

Canon IV. *Omnibus diebus jejuniorum, ut & diebus Veneris, & Sabbathi prohibetur usus carniū: tempore autem Quadragesimæ ab ovis, aliisque cibis prohibitis omnes abstineant, nisi adversæ valetudinis causa, cum licentia Episcopi, aut ejus vicarii.*

Canon V. *Cum res postulabit, Episcopi indicant jejunia ex veteri Ecclesiæ Catholicæ ritu, & ea sub pœna ecclesiastica,*